DE NOVO SOCIETATIS IESV COLLEGIO

QVOD GREGORII XIII. PONT. MAX.

liberalitate extrui cœptum eſt Romæ anno M D LXXXII.

ANT. QVAERENGI CARMEN.



PERMISSV SVPERIORVM.

ROMAE

Apud Franciſcum Zanettum

M D LXXXII.

ILLVSTRISSIMI D. THOMAE AVALI

MARCHIONIS PISCARIAE F.

GREGORIVS ſtudijs quam doctis deſtinat ædem,
Quarengus numeris tollit ad aſtra ſuis.
Carmine Thebanas creuiſſe Amphionis arces
Crediderim, & Phœbi Pergama facta ſono.

DE NOVO

SOCIETATIS IESV COLLEGIO

ANTONII QVAERENGI CARMEN.

MVNIFICIS extructam opibus quam ſurgere cælo
Vrbe vides media ſaxis candentibus ædem,
Et largum extento complecti limite gyrum,
Non hanc deſidia turpi maleſuada voluptas
Mollibus indecorem thalamis molitur, & hortis:
Ambitio non uana animi, fluxaq. cupido
Laudis, & effuſo ventoſa ſuperbia cenſu
Attollit, verum ipſa ſuis pulcherrima rerum
Condit opus manibus Pietas, quod uertere nullis
Annorum ſpatijs auſit longæua vetuſtas:
Ne dubites, gemina indicijs tibi ſigna decoris
Præfulgent, foribusq. domus cernuntur in altis:
Terna nitent dextra Graijs elementa figuris
Aeternæ magnum ſobolis prodentia nomen.

Purpureus læua ſpectantibus obijcit vmbo
Conſpicuũ forma, atq. auro rutilante draconem.
At latum interior quem continet area campum
Sedula multiplicis ratio virtutis in vſum
Format, & ingenijs accommoda tecta colendis
Dædala per varios dirimit ſtructura receſſus.
Hæc ſimplex animi ſplendentia limina candor
Incolet, & ſolida vnanimis concordia pacis.
Has pudor inſiſtet ſedes, & conſcia veri
Relligio, fideiq. vigil tolerantia custos.
In medio latices nitido de fonte perennes
Diues inexhauſtis fundet ſapientia riuis.
Qualis in ætherio cæli inuariabilis orbe
Perpetuam venis felicibus elicit vndam,
Et ſuperum lympha puras alit vbere mentes.
Egregia circum aſſiduus de gente miniſter
Inuigilans, ſacris turbas excludet inertes
Poſtibus, & vitrei diuino munere roris
Arcebit ſegnes animos, aditusq. patenti
Ingenuam accipiet fœcunda ad pocula pubem.
Illa frequens, niueo denſi velut agmine cycni
Optato aduolitant fluuio, & ſe margine condunt
Confluet, et dulces auido petet ore liquores.
Nec dum etiam pleno gelidi ſe gurgitis hauſtu
Proluit, & labris ceſſit ſitientibus ardor:

Sæua procul miſeræ fugient contagia mentis,
Et pulchrum docili ſub pectore gliſcet honeſtum.
Iamque puer primæ ingrediens per lubrica vitæ
Inſcius, & dubijs errans anfractibus æui,
Induet ingentes animos, cæliq. micantes
Corde globos agitans, & præmia magna merentum
Improba deſpiciet vani ludibria ſenſus.
Nec mores hauſiſſe ſatis, certamq. viriles
Ante annos tenuiſſe viam ſublimis Olympi:
Palladis æternos idem ſectatus honores
Perſpicuis doctas e fontibus ebibet artes,
Cecropij quaſcumque ſoli, quaſcumque Latini
Littoris, & Pharia coluit telluris alumnus.
Quin & palmiferæ voces imitatus Idumes
Nectareas, & verba Deo famulata loquenti,
Priſcorum alloquio patrum, ſanctisq. fruetur
Vatibus, & refugi puro Iordanis ab amne
Vertet ad Auſonias diuina oracula terras.
Tum Tiberim, notaſq. arces poſt longa reuiſens
Tempora, ſuſpenſo greſſu mirabitur hoſpes,
Hic vbi congeſtis laribus numeroſa Quiritum
Gens coluit paruos anguſta in ſede penates,
Et vili durata manus plebeia labore
Informi ſonitu perculſas contudit aures;
Nunc pia flexanimo vitæ præcepta beatæ
For-

Formari eloquio, nunc magna arcana parentis
In lucem ſecreta trahi priſciſq. relictis
Collibus Aonias ſedem poſuiſſe ſorores.
Scilicet & dulci tollet ſe carmine ad aſtra
Docta cohors, ſuperumq. patrẽ, & benefacta piorum
Sæpe canet: canet illa tuas ante omnia laudes
Proxime cælicolis PRINCEPS, quo culmina tãta
Auſpice conſurgunt molis. Tu magne furentes
Compeſcis populos, & prœlia vertis in hoſtem
Impia. Tu iuſtis orbem moderaris habenis
Terrarum cæliq. potens. Tu iura Latino
Reſtituis ſolio, templiſq. & fontibus vrbem
Condecoras, cultuq. pio. Tibi lecta propago
Cogitur aduerſo lati de cardine mundi
In varios quos ipſe lares ingentibus auges
Diuitijs; veriq. ſimul ſtudioſa probiq.
Paulatim patrium obliuiſcitur aſpera morem.
Viue diu, placiduſq. tuos Pater aſpice fœtus.
Talia dulciſonis numeris præclara iuuentus
Commemorans, merito in primis celebrabit honore
Aemula Socraticis ſpatijs, cultoq. Lyceo
Virtutis noua templa piæ: ſimul aure canoros
Fama modos cupida excipiens, quacumq. ſonanti
Immenſum pelago terras circumfluit æquor,
Romuleas repetet gratis concentibus ædes.

Fortu-

Fortunatæ ædes, uobis creſcentibus ultro
Ardua ſepteni ſubmittunt culmina montes,
Celſaq. decedunt Capitoli tecta propinqui.
Vos operoſa manus nexu deuincit aheno,
Vt leuis intactas curſus præteruolet aui.
Quod ſi præcipiti lapſu rota feruida mundi,
Sæclorumq. uices, ſerieſq. incerta futuri
Diruat immeritas, & rudere contegat alto,
Veſtra tamẽ decora, & geminũ celebrata per orbem
Nomina, doctiloquo inſignis modulamine cantus
BENCIVS æternos olim trãsmittet in annos

FINIS.

QVid fremit inſolito Tyrrhenus murmure pontus?
Fracta quid aequoreis cautibus vnda gemit?
Sunt maris hi gemitus trepidi, ſunt ſigna pauoris,
Quo timet aduentum maxime SIXTE tuum.
Nempe timet tantus ne accedat ad aequora princeps.
Vt ſua captiuas ſub iuga mittat aquas.
Ne dubitate vndae, non Xerxi hic aemulus arma
Apparat in fluctus barbara caeruleos.
Sed mitis placidusq; venit, bona vt aurea pacis,
Quam peperit terris, nunc ferat ille mari.

NOx erat, & caelum fuſcis amplexa tenebris
Abdiderant ignes nubila ſidereos.
Indignata polum condi tua maxime claſsis
SIXTE faces pelago ſuſtulit innumeras.
Fulgebant liquidae flammis radiantibus vndae:
Fulgebant Tuſci littora curua maris.
Ipſa videbantur, propius te vt cernere poſſent,
Sidera caeleſtes deſeruiſſe domos.
Laudaſti, inuidit caelum, circumq; repente
Stellarum nitidis fulſit imaginibus.
Certabant prius aſtra ſolo, nunc certat Olympus,
Et mare te obſequijs demeruiſſe ſuis.

A. Quaerengi.

DE TRANSLATIONE PII V.
PONTIFICIS MAXIMI,
è Vaticano in Exquilinum
GVILIELMI BLANCI IVNIORIS,
SIXTI V. Cubicularij intimi
EPIGRAMMATA
AD EVNDEM
S. D. N. SIXTVM QVINTVM
PONT. OPT. MAX.
Mecœnatem ſuum.

I.

Oſſa Pii condis celebri dum, Sixte, ſepulcro,
In lucem pietas prodit vt inde tua?
Mortuus en Pius eſt, tumulo quem, Sixte, recondis?
Sed nullo hæc pietas eſt moritura die.

II.

Magnanimus Princeps Obeliſcum tranſtulit olim,
Qui fixo tenuit Cæſaris oſſa globo.
Pontificis nunc oſſa Pii ſanctiſsima transfert
Magnificum in tumulum, magnus vterque labor.
Suſtulit ille ingens Obeliſcus Cæſaris oſſa,
Oſſa Pii terras ſuſtinuere graues.

Ergo Obelo maior P*IVS eſt*, S*IXTI**q́. potentis*
Poſterior laus eſt laude priore prior.
Qui reliquos vicit, vicit ſe denique S*IXTVS*,
Victus et ipſe fuit, victor et ipſe fuit.

III.

H*IC olim iacuit naſcens de Virgine* C*HRISTVS*,
Nunc P*IVS hic etiam mortuus ecce iacet.*
Ha cuna, hic tumulus: tumulo cunabula quadrant,
Nam moriens, ſupero natus in Orbe P*IVS*.

IV.

N*ON ſolum immenſo cumulaſti munere viuos,*
Mortuus afficitur munere, S*IXTE, tuo.*
Tam grato à Domino quid non ſperemus abundè,
Si tanto exſtinctos munere proſequitur?

V.

Q*VAE tibi,* S*IXTE,* P*IVS dederat, das munera ſeruis,*
Reddis et auctori munera capta ſuo.
Das, quæ non curas reddi, cum fœnore reddis,
Gratus et in ſeruos, gratus et in dominum.

VI.

S*IXTVS in Exquilijs dum circumſtante Senatu*
Tranſlato ſoluit debita iuſta P*IO,*
Et ſacros feretro adſpergit de more liquores,
En etiam adſpergit fletibus ora pijs?

Porrige

DE TRANSLATIONE PII V. PONTIFICIS MAXIMI,

è Vaticano in Exquilinum.

GVILIELMI BLANCI IVNIORIS,

SIXTI V. Cubicularij intimi

EPIGRAMMATA

AD EVNDEM

S. D. N. SIXTVM QVINTVM

PONT. OPT. MAX.

Mecœnatem ſuum.

I.

OSSA Pii condis celebri dum, Sixte, ſepulcro,
In lucem pietas prodit vt inde tua?
Mortuus en Pius eſt, tumulo quem, Sixte, recondis?
Sed nullo hac pietas eſt moritura die.

II.

Magnanimus Princeps Obeliſcum tranſtulit olim,
Qui fixo tenuit Cæſaris oſſa globo.
Pontificis nunc oſſa Pii ſanctiſsima transfert
Magnificum in tumulum, magnus vterque labor.
Suſtulit ille ingens Obeliſcus Cæſaris oſſa,
Oſſa Pii terras ſuſtinuere graues.

Ergo Obelo maior Pivs eſt, Sixti & potentis
Poſterior laus eſt laude priore prior.
Qui reliquos vicit, vicit ſe denique Sixtvs,
Victus et ipſe fuit, victor et ipſe fuit.

III.

Hic olim iacuit naſcens de Virgine Christvs,
Nunc Pivs hic etiam mortuus ecce iacet.
Ha cuna, hic tumulus: tumulo cunabula quadrant,
Nam moriens, ſupero natus in Orbe Pivs.

IV.

Non ſolùm immenſo cumulaſti munere viuos,
Mortuus afficitur munere, Sixte, tuo.
Tam grato à Domino quid non ſperemus abundè,
Si tanto exſtinctos munere proſequitur?

V.

Qvae tibi, Sixte, Pivs dederat, das munera ſeruis,
Reddis et auctori munera capta ſuo.
Das, quæ non curas reddi, cum fœnore reddis,
Gratus et in ſeruos, gratus et in dominum.

VI.

Sixtvs in Exquilijs dum circumſtante Senatu
Tranſlato ſoluit debita iuſta Pio,
Et ſacros feretro adſpergit de more liquores,
En etiam adſpergit fletibus ora pijs?

Porrige

Porrige, Muſa, mihi phialam, dum colligo ſeruus,
Quæ Domini ex oculis mollibus vnda fluit.
Si cecini nuper, quas fornice duxit in Vrbem,
Quas oculis vndas ducit, et ipſe canam.

VII.

Quod facis ipſe alijs, nunquam tibi fecerit alter,
Si fieri poſſit, ne tibi fiat idem.
Sed quoniam id cunctis faciendum eſt, Roma precatur,
Serius vt fiant, quæ facienda tibi.

IN MARMOREAM PII V. STATVAM ſepulcro impoſitam.

VIII.

Suſtulerat natura Pivm*: pia Roma dolebat:*
Sed Romæ mira redditur arte Pivs*.*
Tu, pia Roma, Pii *ſpirantes adſpice vultus,*
Adſpice, quàm ſimilis ſit Pivs *iſte* Pio*?*
Vnica vox deſit. Velles audire loquentem?
Adſpice, compoſito geſtit vt ore loqui?
Verùm Sixtiaci *attonitus ſplendore ſacelli*
Obriget in marmor, mutus et ora premit.

EIVSDEM BLANCI EPIGRAMMA IN SVO DE AQVIS FELICIBVS LIBRO, ſi is denuò excudatur, reponendum.

MOIS aqua eſt olim Phario de nomine dicta,
Et Moſes ab aqua nomine nomen habet.
Sed FELIX alter Moſes, quam ducit in Vrbe,
FELICEM à proprio nomine dicit aquam.
Priſca nouis cedant: non ne hic præſtantior illo?
Ille ab aquis cepit nomen, hic indit aquis.

Porrige, Muſa, mihi phialam, dum colligo fletus,
Quæ Domini ex oculis mollibus vnda fluit.
Si cecini nuper, quas fornice duxit in Vrbem,
Quas oculis vndas ducit, et ipſe canam.

VII.

Quod facis ipſe alijs, nunquam tibi fecerit alter,
Si fieri poſsit, ne tibi fiat idem.
Sed quoniam id cunctis faciendum eſt, Roma precatur,
Serius vt fiant, quæ facienda tibi.

IN MARMOREAM PII V. STATVAM
ſepulcro impoſitam.

VIII.

Suſtulerat natura PIVM*: pia Roma dolebat:*
Sed Romæ mira redditur arte PIVS.
Tu, pia Roma, PII *ſpirantes adſpice vultus,*
Adſpice, quàm ſimilis ſit PIVS *iſte* PIO*?*
Vnica vox deſit. Velles audire loquentem?
Adſpice; compoſito geſtit vt ore loqui?
Verùm SIXTIACI *attonitus ſplendore ſacelli*
Obriget in marmor, mutus et ora premit.

EIVS-

EIVSDEM BLANCI EPIGRAMMA IN SVO DE AQVIS FELICIBVS LIBRO, ſi is denuò excudatur, reponendum.

MOIS aqua eſt olim Phario de nomine dicta,
Et Moſes ab aqua nomine nomen habet.
Sed FELIX alter Moſes, quam ducit in Vrbe,
FELICEM à proprio nomine dicit aquam.
Priſca nouis cedant: non ne hic præſtantior illo?
Ille ab aquis cepit nomen, hic indit aquis.

Porrige, Muſa, mihi phialam, dum colligo ſeruus,
Quæ Domini ex oculis mollibus vnda fluit.
Si cecini nuper, quas fornice duxit in Vrbem,
Quas oculis vndas ducit, et ipſe canam.

VII.

Quod facis ipſe alijs, nunquam tibi fecerit alter,
Si fieri poſſit, ne tibi fiat idem.
Sed quoniam id cunctis faciendum eſt, Roma precatur,
Serius vt fiant, quæ facienda tibi.

IN MARMOREAM PII V. STATVAM ſepulcro impoſitam.

VIII.

Suſtulerat natura PIVM: pia Roma dolebat:
Sed Romæ mira redditur arte PIVS.
Tu, pia Roma, PII ſpirantes adſpice vultus,
Adſpice, quàm ſimilis ſit PIVS iſte PIO?
Vnica vox deſit. Velles audire loquentem?
Adſpice, compoſito geſtit vt ore loqui?
Verùm SIXTIACI attonitus ſplendore ſacelli
Obriget in marmor, mutus et ora premit.

EIVSDEM BLANCI EPIGRAMMA IN SVO DE AQVIS FELICIBVS LIBRO,

ſi is denuò excudatur, reponendum.

MOis aqua eſt olim Phario de nomine dicta,
Et Moſes ab aqua nomine nomen habet.
Sed Felix alter Moſes, quam ducit in Vrbē,
Felicem à proprio nomine dicit aquam.
Priſca nouis cedant: non ne hic præſtantior illo?
Ille ab aquis cepit nomen, hic indit aquis.